

scorpione capite, cum sedili resupino ferri perspicitur. Exoriri autem cum sagittario, huius in capite stella ostenditur una, in utroque humero una, in mamilla dextra clara una. In lumbis magna una, in sinistro femore duae, in genu una, in pede ipsius dextro una, in quadrato quo sella deformatur una, in utrisque angulis singulae clarius ceteris lucentes. Haec igitur est omnino stellarum xiii.

Andromeda.

Andromeda habet septem stellas tertiae magnitudinis, unam scilicet in capite & quatuor in brachio sinistro & unam in palma dextra.



Andromeda prope Cassiopeiam, supra caput Persei, breui intervallo dissidente perspicit collocata, manibus diuersis uincta, ut antiquis historiis est traditum: cuius caput equi Pegasi uentri coniungitur. Eadem enim stella et umbilicus Pegasi et Andromedae caput appellatur, huius medium pectus & manum sinistram circulus aestiuus diuidit. Occidit autem cum pisce de duobus secundo, quem Andromedae subiectum brachio supra diximus. Exoriēte Libra & scorpione capite priusquam reliquo corpore peruenit ad terram. Exoritur autem cum piscibus et Ariete: haec, ut supra diximus, habet in capite stellam clare lucentem unam, in utroque humero unam, in cubito dextro unam, in ipsa manu unam, in sinistro cubito uel in brachio unam. In manu altera unam, in zona tres, super zonam quatuor, in utroque genu unam, in pedibus autem binas. Itaque omnino est stellarum numerus xx.

Perseus.

Perseus inter insigniores stellas habet unam in dextro latere secundae magnitudinis, nomine Algenib, & quatuor in sinistro genu & crure tertiae magnitudinis, habet & unam secundae magnitudinis, in Ras dal gol, hoc est, in capite Medusae, quod capite sinistro tenet, reliquae sunt quartae & quintae magnitudinis.



Huius sinistrum crus & humerum leuum, circulus aestiuus a reliquo corpore diuidit. Ipse manu dextra arcum cum circulum tangit, dextro pede caput aurigae premere uelut currens uidetur. Idem occidens sagittario & capricorno exorto inclinatur ad caput uersus, cum ariete & tauro rectus exoritur. Habet autem in utroque humero stellam unam, in manu dextera clare lucentem unam qua falcem tenere dicitur, quo telo Gorgonam interfecit. In sinistra, alteram, qua caput Gorgonis tenere existimatur, habet praeterea in uentre stellam unam, in lumbis alteram, dextro femore unam, ad genu unam, in tibia unam, in pede unam obscuram, in sinistro femore unam, in genu alteram, in tibia duas, in sinistra manu, quod Gorgonis caput uocatur, stellas quatuor, omnino est stellarum numerus decem & septem: Caput eius & falx sine sideribus apparent, hunc Aratus cum diceret inter sidera Ceconismenon figuratum; acceperunt

h 2 complures



Ἰσχυρομένον